DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
RACHITIDE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

THOMAS NASMYTH,

BRITANNUS.

Si ſolum ſpectes hominis caput, Hectora credas;
Si ſtantem videas, Aſtyanacta putes. MART.

Ad diem 12. Sept. hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXVII.

Viro gravi, ornatoque in primis,

JACOBO NASMYTH,

A DAWICK,

EQUITI BARONETTO;

Item,

JACOBO NASMYTH, M. D.

Patruo ſuo,

In primis et jure caro,

Utpote qui ſumma benevolentia ſe,

Summo amore, liberalitate, et

Pietate paterna,

Nunquam non amplexus ſit;

Has ſtudiorum medicorum primitias,

Exiguum, ſed grati animi, teſtimonium,

Dicat, dedicat, conſecratque

THOMAS NASMYTH.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30791121

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RACHITIDE.

PROPRIA Rachitidi ſigna, quibus cognoſci et ab aliis morbis dignoſci poteſt, ſunt, " Caput magnum, anterius maxime tumens, genicula tumida, coſtae depreſſae, abdomen tumefactum, caetera marceſcentia *."

HISTORIA.

Raro ante quintum vel ſextum menſem, raro poſt ſextum aut ſeptimum annum, rachitis cuiquam incidit.

Ad-

* Cull. Gen. Morb. G. LXXIX.

Adventare morbum, cibi ſine manifeſta cauſa debilitante faſtidium, digeſtio prava, nauſea, vomitus, cutis pallor, muſculorum flacciditas, inſolita quaedam quaſi pinguedinis ſpecies, vulgo pinguedo falſa dicta, ſignificant. Dein, modo cum tumoribus hydropicis, modo ſine iis, amplificatus venter prominet. Glandulae magnitudine creſcunt. Jamque oſſium, praecipue quae paucioribus muſculis teguntur, ut genuum, carporum, et talorum, fines craſſitudine augentur. Minus alacer puer fit; nec, ſi geſtatur, in ſinum nutricis pedes ſponte imprimit. Si incedere jam poteſt, inter ſe diſtantia genua, diſtantes pedes, tenens, rejecto alternatim cum unoque gradu in latus hinc inde corpore, progreditur. Tum languidus, moroſus, difficilis, luſu ſolito non amplius oblectatus, nulla re contentus, cubile omnibus rebus anteponit.

Ex hoc principio, cutis pallor creſcit, niſi quod aliquando vultus excipitur; qui reliquo corpore minus macreſcit, et ſaepe praeter ſolitum pingueſcere videtur. Caro flaccidior, mollior, ita contabeſcit, ut, ſi praeter

naturam

naturam tumores excipias, nihil praeter cutem aridam, oſſibus adplicatam, ſuperſit. Creſcit magnitudine venter, qui major utique vero ut videatur, reliquarum partium macies efficit. Aliquando, pro vultus et totius corporis pallore, modo relato, inſolita per totum corpus, ſed maxime in genis, rubedo, et maculatus color, incidit. Quae ſpecies febris hecticae effectus eſt.

Oſſa varie diſtorquentur. Male plerumque thorax conformatur: Qui antrorſum acuitur, a lateribus complanatur, infra deprimitur. Scapulae adeo in altum tolluntur, ut interdum caput prope attingant. Coſtae, maxime, ubi cum ſterno committuntur, prae reliquis oſſibus intument. Quod ubi factum eſt, ſpirandi difficultas et tuſſis incipiunt. Caput grandeſcit ita, ut ſaepe male ſuſtentum, aut antrorſum aut in alterum latus, praeſertim erecto corpore, reclinetur. Ejuſdem, ubi nondum, prae aetate, ſuturae bene committuntur, ſaepe, hiantibus his, oſſa in partes, relictis ſpatiis, ſeparantur. Hoc tempore vacillans motus augetur, ſedendi-

dendique, aut etiam ex omni paulo majore conatu decumbendi, cupiditas urget. Jamque, praeter relata, alia quoque oſſa vitioſe deflectuntur. Spina varie incurvatur, ita ut quaecunque pars a ſitu naturali deceſſerit, proxima in contrarium detorqueatur. Genua introrſum, utrumque in alterum, diriguntur. Crura antrorſum et introrſum gibba, retrorſum concava, femoris oſſa antrorſum, brachia extrorſum gibba, extant. Dentes primi interdum tarde excidunt, interdum diu ante, quam novi ſuccedant, ſua ſponte abſcedunt, novique contabeſcentes ſaepe non apparent.

Patiuntur quoque actiones naturales. Quamvis parum alit victus, diu tamen et deſideratur, et ſaepe large aſſumitur. Quod tamen deſiderium minus avidum plerumque eſt, et ita quidem, ut partim hinc, partim et copia aſſumpta, ſaepe nauſea et vomitus ſuperveniant. Quae, provecto morbo, creſcunt, quo tempore minus quoque aut deſiderari aut aſſumi ſolet alimenti.

Urina parcior juſto pallere ſolet.

Qualis

Qualis perſpiratio ſit, ex pallore et ſiccitate vultuſque inflatione, ſupra expoſitis, judicari poteſt.

Actiones vitales non prorſus labis expertes ſunt. Hectica quandoque cum morbo provectiore, ut ſupra dictum eſt, conjungitur. Eodemque tempore vaſa ſanguifera, praecipue circa caput, praeter naturam pleniora turgent, arteriaeque carotides validius pulſant.

Spiritus quoque, creſcente debilitate, cum ſtridula voce, laborioſior fit.

Ex actionibus animalibus, animi ſenſus diu ſaepe valent, vel ſolito acutiores fiunt. Qui, procedente in exitialem finem morbo, paulatim hebetantur, et hebetari pergentes, amentiae proximi, paralyſi aut lethargo comitante, evadunt, aut, juſta apoplexia oborta, pereunt.

IN CADAVERIBUS VISA.

Inciſis cadaveribus, conſumpta adeps, collapſa ubique, niſi, ubi quod, prae caeteris

 locis,

locis, in vultu et cruribus fit, humore aquoſo repletur, tela cellulari, primum in conſpectum venit.

Partes muſculares praeter naturam pallidae, attenuatae, et flaccidae, humore viſcido circa tendines ſolito magis abundante, cernuntur.

Viſcera abdominis omnia ſolito grandiora, maximeque canalis alimentarius et jecur, reperiuntur. Quorum ille perquam attenuatus tralucet. Circa hoc, praecipue ad omentum, pinguedo multum abſumpta eſt.

Glandulae meſentericae lymphaticae conglobatae, quam pro naturae modo, ſaepe majores et duriores deprehenduntur.

In thorace, pulmones pleurae adhaerere, bronchialeſque, aliarum glandularum more, praecipue illa thymus nuncupata, turgere et induruiſſe, animadvertuntur.

Venae ubique minus ſanguinis habent, et, quod habent, colore et fluore a ſano ſanguine differt. Color ſanguinis minus rubet, et veſtem lineam leviter tantum tingit. Collectique

lectique vaſe ſerum prae reliquis partibus multo abundantius eſt.

Oſſa non ſolum craſſiora juſto, ſed et molliora et poroſa magis, parietibus, maxime prope fines et margines, multum attenuatis et ſolideſcentibus, curvataque quae ſunt, magis ad latus gibbum quam concavum, ſpongioſa et craſſiora offenduntur. Quod cavis iiſdem concluſum eſt, ſero cruento, quam medullae, ſimilius eſt. Qui medullam ſpinalem, praecipue verſus oblongatam, firmiorem ſana contendunt, ii ex ratione id traxerunt, quaſi ſic humor nervoſus, in illam difficilius influens, morbum, cauſa, contineret. Sed non tam medulla haec, quam membranae, praecipue quibus contigua lympha jacet, firmiores ſunt, ut membranae, inter duram et piam meningas, ſuper medullam oblongatam ſitae, fatentibus illis viris, et inde quoque forſitan in errorem ductis, uſu venit.

Cerebrum multum amplificatum, et ventriculi ejus humore aquoſo plurimo diſtenti, obſervantur. Quo modo aliae partes indic-

tae

tae depraventur, ſupervacuum dicere eſt; ſiquidem ex dictis id facile conceptu erit.

SYMPTOMATUM EXPLICATIO.

Pallor, ſaltem primo quoque tempore corporis exteriora occupans, ad cordis et arteriarum actionem debilem, qua in vaſa ſummi corporis non ſatis ſanguis impellitur, eoque ad cerebri, unde haec pendet, actionem quoque debilem, referendus eſt. Et, ſi ſanguinis languens, ut ſupra dictum eſt, rubedo poſtea cauſae particeps habenda eſt, id tamen jam memoratae cauſae tantum effectus eſt.

Rubedo, quae ſupra relata eſt, ex cauſa quoque relata, ſcilicet, febre hectica, pendet. Acris enim materia, cor et arterias, et inde totum genus nervoſum, irritans, vaſorum ubique, eoque arteriolarum infra cutem, actionem ad febrilem frequentiam ſtimulando, per univerſa illa, et ideo quoque in his, ſanguinem majore copia, unde cutis color, concitat.

Cor-

Corporis plenitudo et quaſi pinguedo laxitati firmorum ſimplicium, quae vivorum atoniam ſemper comitatur, ut primae cauſae, dein humorum aquoſae tenuitati, quae cauſa quoque, ſed primae tantum effectus eſt, tribuenda eſt. Quo fit, ut, cum ſimul vaſa laxiora, ſimul humores tenuiores ſint, hi in illa, exigua quamvis a tergo vi, quae in hujus morbi ſeminio exigua ſit neceſſe eſt, facile tamen et ſponte irruentes, ſtatum, de quo agitur, creent.

Flacciditas corporis, partim ſanguinis inopiae, partim adipis defectui, debetur. Per illam fit, ut vaſa non ſatis diſtendantur, diſtentaque, praeſertim minimis ſuis ramis, ſpatiola et intervallula, fibris muſcularibus interpoſita, impleant, et ſic harum molem augeant. Adipis autem, qui, ut telae cellularis longe maxima pars, omnibus totius corporis ubique fibris interſeritur, molemque, quae harum eſſe videtur, maxima ex parte dat, eoque longe maxima totius corporis pars eſt, defectus, ut fibrae muſculares per ſe relictae collabantur, quaſi attenuatae videantur,

tur, et ſic omnibus ſui partibus corpus univerſum flacceſcat, non efficere non poteſt.

Abdominis moles partim muſculorum abdominalium, partes ſubjectas parum comprimentium, relaxationi tali, qualis toto corpore eſt, partim aëri, canalem alimentarium complenti ac ſufflanti, partim etiam glandularum, prae caeteris meſentericarum, tumefactioni, debetur. Quod ad harum cauſarum primam attinet; ut, quoties ex quavis cauſa abdomen mole creſcit, ejus muſculi, quod ſatis notum eſt, relaxantur; his ita relaxatis, partes ſubjectae, quae per elaterem ſuum contra uſque nituntur, et illarum contractionem ſuperare tendunt, nunc minus cohibitae, et ſolita vi comprimente liberatae, extrorſum protruſae prominent; eoque facilius, ſi, quae ſecunda cauſa dicta eſt, interiora aëre diſtenta amplificantur: Quam diſtentionem augens glandularum tumefactio ideo ſubnaſcitur, quia in glandulis humor tarde procedens eas diſtendit. Procedit autem tarde, quia per atoniam, quae omnibus partibus irritabilibus evenit, in venis lacteis

et

et aliis lymphaticis humor profluens, non ſatis ſtimulum ſuppeditat, quo earum actio debito modo excitetur; et, ſi quid auxilii vicinarum arteriarum pulſatio, aut vicinorum muſculorum contractio, ei actioni miniſtrat, id quoque in atonia communi deficit. His omnibus cauſis abdominis moles, quantum vere juſto major eſt, accepta referenda eſt; ſed major quam eſt, videtur, quia reliqui corporis moles, ob cauſas relatas, imminuta eſt.

Magnitudo capitis eo fit, quod partes ſubjectae, saepe effuſa aqua, ſemper intra ſua vaſa abundante, diſtentae, amplius ſolito ſpatium occupantes, nondum indurata oſſa incompletis ſuturis cedere cogunt, et interpoſita ſuturis ſpatia amplificant. Quid hic magnitudinis ipſius cranii amplificationi debeatur, poſt, ſub oſſium depravatorum explicatione dicetur.

Symptomata ventriculi, indigeſtionem ſubeſſe ſignificantia, atoniae totius corporis, ſaepius jam memoratae, effectus ſunt. Quoniam enim talis atonia imminutam cordis, imminutam arteriarum toto corpore, actionem,

nem, excepta in interna ſuperficie exhalantium, ponit; et inde imminuta perſpiratio intelligitur; quam imminutam auctae in interna ſuperficie, ſecretiones comitantur, ita, e caeteris hujus ſuperficiei partibus, inter reliquas ſecretio in ventriculo abundans, et fibrarum ibidem muſcularium atonia, ex eadem communi atonia pendens, ſymptomatum hujus origo ſunt. Excretio abundans anorexiam et nauſeam facit.

Nullum cibi deſiderium ex fibrarum ventriculi, praecipue circularium, atonia eſt; qua fit, ut ingratus ille, qui in vacuo ſano ventriculo ſolet, ſenſus non naſcatur. Eadem atonia maciem explicat. Non enim per debitam earundem hic fibrarum actionem agitatio, diffuſioni neceſſaria, ſuppeditatur. Deficiente diffuſione, alimenti fermentationem ſubituri particulae et humor ſolvens, ſeu fermentum, non ſatis prope inter ſe adplicantur, non ita intra mutuae actionis ſphaeram adducuntur, ut debita, per quam ſolam mixturae mutatio, digeſtionem hic conſtituens, fit, fermentatio rite abſolvatur. Hinc cruda materia, ſerius in duodenum

num tranſiens, vitiatum chylum creat. Qui, venas lacteas ingreſſus, ad ſanguinem delatus, dein, ſive ſecretus, ſive arterias tranſpiraturus, non idoneus, quo firma corporis materia ſuppleatur, evadit.

Eadem atonia, languoris, quae motus voluntarii inſtrumentorum affectio eſt, ſicut et animi affectionum et facultatum, ſive meliorum naturalibus, ſive pejorum, creatrix eſt. Verum ſtupor et amentia, quae ſaepe ſub morbi finem incidunt, a compreſſione, haec ab humore effuſo aut redundante, pendent. Prudentia vel animi acumen, aut majorum natu, quibuſcum una, quam cum aequalibus, hujuſmodi pueri magis eſſe ſolent, imitatio mera aut mihi inexplicabilis eſt. Languor autem corporis et animi affectio conſimilis ex ventriculi jam explicata adfectione primum potiſſimum orta ſunt, dein, et primum quoque ex parte, a toto habitu vitiato ſuſtentantur. Poteſtas enim fibris muſcularibus ventriculi inhaerens langueſcens, ſimilem in nervoſa, nervorum illas inter et cerebrum, ſimilemque demum in animali

languorem efficit. Poteſtas autem animalis languens ipſi animi affectus eſt, de quo agitur. Imminuitur autem motus voluntarius, quia a poteſtate animali languente ad nervoſam, in nervis cerebrum inter et muſculorum ubique fibras euntibus, et ad inhaerentem his demum, poteſtates languor communicatur. Unde explicabile eſt, quod puer "languidus, moroſus, difficilis, luſu ſolito "non amplius oblectatus, nulla re conten-"tus, cubile omnibus rebus anteponit."

Glandulae magnitudine creſcunt, quod, partim ob vitiatam humorum, per eas profluentium, naturam, cujus cauſa digeſtionis primae vitium ſupra explicatum eſt, hi tardius profluunt, et quam praeterfluunt partis molem augent; partim, quia, imminuta in muſcularibus ipſorum vaſorum fibris poteſtate inhaerente, actio eorum deficiens humores non ſatis percitat. Hinc aucta partium glandularium moles, et ſaepe juſta obſtructio.

"Craſſitudine oſſa augentur," non quod ſolita plus materia iis additur, ſed quia ſolita

ta non ſatis addenſatur. Quippe enim tanto ſpongioſa magis, quanto craſſiora, reperiuntur. Quod, et

Mollities oſſium, eo fieri videtur, quod materia oſſifica non idonea ſuo officio eſt. Idque vitium a digeſtionis, ſupra explicatae, vitio pendet. Quae cum rite peragitur, tum tam ad mollia, quam ad firma, corporis conficienda et alenda, materia apta evadit. Cum vitiatur illa, haec quoque vitii particeps, partibus, quas conficit, vitium impertit. Mollia corporis ex parte aquoſa et concreſcente, ignotae naturae, oſſa ex materia terrea conflantur *. Hujus aliquando parum idonea officio ſuo conditio eſt. Sed eam quoque, ſaltem vitioſam, aquae aliquantum ingreditur. An in nimia aqua mali fons? Quicunque materiae oſſificae ſtatus vitium faciat, ſemper hoc debilitas at atonia communis, cujus retuli, comitatur. Et, quoniam poteſtatum externarum, maxime muſculorum, vis, ad oſſa naſcentia, ex illa materia coaleſcentia, con-

* Cull. Phyſiol. on the ſimple ſolid.

condenſanda pertinet, ita, deficiente ea vi, et ibi maxime, ubi haec maxime deficit, eo exuberant, quo minus contra reſiſtitur. Hinc quoque diſtortiones explicabiles ſunt.

Stante aliquo, centrum gravitatis corporis inter pedes cadit. Quo fit, ut propter debilitatem, huic morbo propriam, ad augendam ſuam baſin et ſeſe firmius ſuſtentandum, divaricet puer pedes. Hinc pondus in interiorem utriuſque cruris partem cadit, et hanc magis incumbente onere premit. Eoque ſimul introrſum crura incurvantur, et propius inter ſe genua adducuntur. Ad quem effectum muſculorum cruralium actio multum et potiſſimum quidem confert. Cum enim praecipue a poſteriore crurum parte muſculi ſiti ſint, et tibia, longius os, ab interiore parte minus muſculorum habeat; hinc ab anteriore parte magis creſcere, et ſua puncta oſſea magis protrudere, ſinitur. Praeterque id, muſculi gaſtrocnemii, qui termini quaſi ſunt, utrumque oſſis finem retrahentes, id ut antrorſum gibbum, retrorſum concavum ſit, efficient, dum corporis pondus, ob-

lique

lique ſuſtentatum, oſſa introrſum adprimit. Similique modo femora et brachia diſtorquent horum membrorum muſculi. Diſtortionemque femoris adjuvat ſedile, quo pedes ſolum non attingunt, horumque et crurum pondus a medio oſſe femoris, hujus a ſedilis margine, ſuſtentatur.

Cum in tanta debilitate, quanta hic eſſe ſolet, corpus male proprium pondus ſuſtineat, eoque ad aliquod puer adminiculum ſeſe temere adplicet; hinc fit, ut, inclinato in alterum vertebrarum latus corporis pondere, ejus lateris vertebrae arctius inter ſe applicatae, interpoſitam partem cartilagineam comprimant, et poſt longiorem moram eum habitum uſu ſervent. Sed, quia ſic ex communi ac naturali ſpinae centro, quo pondus corporis facillime ſuſtentatur, id in latus transfertur, ideo inſolita muſculorum actione ad id penſandum opus eſt. Ad quam leviorem reddendam novus adminiculus, priori contrarius, quaeritur; et hinc quoque nova, ſed et priori contraria, ſpinae inflexio ſequitur,

quitur, et ſic deinde, ut tota ſaepe ſpina diſtorqueatur.

Porro, coſtae finibus anterioribus, ubi nihil memorabile, quo minus in longitudinem creſcant, reſiſtit ; ſpongioſae natura, craſſiores et longiores praeter hanc, evadunt. Cartilagineſque, quae hic molliores ſolito et flexiliores ſunt, a diaphragmate, cujus fibrae muſculares multis earum affiguntur, ſe contrahente introtractae, extrinſecus concavae fiunt. Quibus affixum et, in ſpiritu emittendo, a muſculorum abdominis actione, fine inferiore preſſum, ſternum eundem motum, qua poteſt, ſequitur. Hinc "thorax antror-"ſum acuitur, a lateribus complanatur." "Spirandi autem, cum tuſſi difficultas," eo fit, quia thorax, ſic, ut dictum et explanatum jam eſt, conformatus, a conſuetis inſtrumentis muſcularibus non ſatis, ad ſpiritum commode trahendum, amplificatur. Hinc alii muſculi, ſuperne, et inter reliquos a ſcapulis orientes, ad illa adjuvanda, et coſtas tollendas, in actionem a poteſtate animali aut vi medicatrice, excitantur. Quae actio quo

effi-

efficacior ſit, erigitur cervix, tolluntur ſcapulae. Sed, cum ne omnia haec quidem auxilia ſufficiant, nec thorax ſatis amplificetur; igitur ſanguis per pulmones, deficiente horum actione, non ita validè et conſtanter, ac facto opus eſt, ad poſteriorem ventriculum tranſmittitur; eoque, ad hanc offenſam tollendam, crebrior ſpiritus fit. Quam ſanguinis in tranſeundo moram, et ſpiritus inde adfectionem obſtructio in ipſis pulmonibus, quam glandulae bronchiales tumefactae faciunt, adauget.

CAUSA PROXIMA.

Supra in hiſtoria aut imminutum cibi, aut pravum ſine effectu, deſiderium, et in utroque caſu digeſtionis negotium perturbari, vidimus. Nam, ubi ſolita vel etiam juſto major copia accepta eſt, tamen non ad digeſtionem proficit, et aut ſupra rejicitur, aut, lienteriae more, parum mutata, alvo redditur. Praeterquam autem quod hinc chylificatio,

catio, cujus ſtatus a digeſtionis in ventriculo multum pendet, corrumpatur neceſſe eſt, propriorum ipſi quoque inſtrumentorum vitium evidens eſt. Sic glandulae meſentericae, et vaſa ibidem lactealia ſemper mole aucta, ſaepe tumoribus, ſchirro laborantia, aliquando abolita, cernuntur. Quin et haec inter et venas rubras, qua in ſanguinem chylus influit, ſi diffuſioni, ſi etiam mixturae, chyli neceſſaria, quod neutiquam dubito, lympha adfunditur, haec quoque, ut oſtendimus, corrupta hoc officio parum fungatur oportet. Quae interioribus in vaſis corruptionis cauſae ſint, ſuperſedet dicere, ignota partium interiorum natura. Verum, hic quoque, et ubique quidem corporis, digeſtionem male perfici veriſimillimum, immo, ut ex effectibus manifeſtis patet, verum et certum eſt: Quibus rebus ſi, debilitatem et atoniam in ventriculo et ſummo reliquo corpore accedere reputetur, eamque univerſi corporis debilitatem et atoniam etiam juſto morbo praecedere; id eſt, ſeminium quoque morbi in illa conſtare, et ab iis noxis,

caſu

caſu occurrentibus, quae ideo poteſtates nocentes nominari ſolent, et recte nominantur, exaſperari; tum ſtatus corporis, in quo cauſa morbum continens poſita ſit, ſaltem quibuſdam rebus veris communioribus tenus, haud difficile intellectu eſt. Ea igitur eſt debilis cerebri, maxime qua ventriculum et reliqua digeſtionis inſtrumenta reſpicit, actio, horum debilitatem et atoniam ubique efficiens, alimentum peſſumdans, et rurſus hoc ſuo effectu ipſa uſque adaucta. Cujus digeſtionis ubique vitii proprius effectus eſt, ut materia terrea, e qua oſſa conflantur, aut parcius, aut vitiata, in cellulas, ſive jam ex parte formatorum, ſive mox formandorum, oſſium inſinuetur, ita ut debitum his non praebeat duritiem, et, in altera, ex qua partes molliores fiunt, materia pars aquoſa, ſupra modum abundans, illarum laxitatem naturalem augeat, et morboſam faciat.

SEMINIUM.

Hic et in plerisque morbis ſeminium, ſeu is corporis, nondum aegrotantis, ſtatus, quo, noxis iis, quae poteſtates nocentes dicuntur, oblatis, id in morbum, ſed ſine iis non, incidit, idem fere, ſed gradu minor, qui cauſa proxima, ſtatus eſt. De quo in omni fere caſu prima, quae occurrit, quaeſtio eſt, congenitumne an acquiſitum ſit? Ad quam quod in hoc morbo attinet; hic haereditarius, necne, ſit inter auctores controverſum eſt. Quam controverſiam, ut magna ex parte omittam, ſtatum corporis, qualem in cauſa proxima, ſed gradu majorem, retuli, aliquando congenitum eſſe, ſaepius forſitan erroribus in puerorum adminiſtratione induci, ſatis eſt dixiſſe. Hic morbus priſcis temporibus in Britannia ignotus eſſe dicitur: Quod ſi aut verum aut vero proximum eſt, inde ex adminiſtratione mala magis, quam naturali corporis ſtatu, pendere illum ſequitur.

Neque

Neque alioquin quoque tam haereditaria rachitis, quam ii morbi, quos haereditarios eſſe conſtat, ex optimis obſervationibus, apparet; e quibus raro morbus iis pueris, qui bene curati ſint, incidere, animadvertitur. Unde ad ſummam induci, ſeu adquiri, habitum rachiticum potiſſimum, et ab iis noxis, quae, ut poteſtates nocentes morbum inferunt, id eſt, habitum in cauſam proximam vertunt, ſummam, quam poſſum, rerum verarum, quatenus eae mihi innotuerunt, rationem habens, conjicio. Apud nonnullos infantiam, ſeu puerilem primum ſtatum, pro ſeminii cauſa adprehendi video: Quae ridicula notio eſt.

Nihil enim aliud haec aetas, niſi quatenus ſeminium, nobis relatum, aliquando recipit, nocet. Id autem, quod ſemel e ſexcenis vicibus ſtatus morbo opportunus eſt, pro ſeminio, id eſt, pro corporis ſtatu, qui, poteſtatibus nocentibus oblatis, ſemper morbum recipiet, habere, abſurdius eſt, quam ut in refellendo verba abutenda videantur.

SE-

SEMINII ACQUISITI CAUSÆ.

Seminii acquiſiti cauſae eaedem noxae, quae poteſtates nocentes, ſunt, eodemque modo agunt, nempe, firmorum vivorum atoniam, ſimplicium laxitatem, gignendo, et genus nervoſum funditus debilitando. Differuntque tantum ab iis, quod lenius et vi minore ac conſuetudine potius, agunt, et ſic habitum inducunt morbo opportunum, et, oblatis poteſtatibus, ad juſtum ejus modum adſcenſurum. Quo actionis earum modo explicato; quae noxae ſic agant ſub poteſtatum nocentium titulo invenientur.

POTESTATES NOCENTES.

Poteſtates nocentes, ſeu noxae, cum jam intus ſeminium eſt, hoc augentes, et in cauſam proximam vertentes, dupliciter, in eas quae totum corpus, et eas quae ventriculum, adficiunt, dividi commode poſſunt. Rurſus

utraeque

utraeque relaxando aut ſedando debilitant. Idque aut recta aut eventu faciunt.

Totum corpus ſic adficientia, et ſeminium rachiticum augentia, ſunt, I. Nutrices valetudinariae, maximeque conſimili firmorum ſimplicium et vivorum ſtatu laborantes: II. Coelum humidum et frigidum: III. Immunditiae: IV. Calor nimius, maximeque cubiculorum plus juſto calentium uſus: V. Immodica humorum profuſio. Haec omnia manifeſte ad firma ſimplicia relaxanda, viva ſedanda, aut ſimul ad utrumque faciendum, pertinent.

Ventriculum ſimiliter adficientia, et ſimilem eventum, nempe ſeminii in cauſam proximam converſionem efficientia, ſunt laxantia, qualis victus humidus eſt; ſedantia, qualia opium, acida, et putrida aſſumpta; nimis ſtimulantia, qualis caro et condimenta, item frequens ſupra, et vehemens infra, purgatio ſunt; nimis diſtendentia, qualis victus ex qualibet materia copia difficilis ſolutu, materia et aëris emiſſio, ſunt. Ex his quatuor capitibus primum firma ſimplicia

plicia relaxando, alterum vivorum atoniam imminuendo, tertium utrique actioni contrariam primum, dein utramque illam eventu praeſtando, quartum tertio ſimile opus edendo, agunt.

His adjici vulgo ſolent noxae quaedam, quae ipſae morbi ſunt. Qui ſi, dum ipſi permanent, rachitidem, aut huic ſimilem affectum, inferunt, eam tantum, ut ſymptomaticam, inferunt; cujus ratio, ad principes morbos pertinens, ad eos releganda eſt. Contra, ſi iidem ita corporis ſtatum commutant, ut talem ipſi jam ſoluti relinquant, qualis ſeminium rachiticum eſt, cauſa ſeminii erunt. De quo effectu quid cenſendum ſit, ſupra in ſeminii et ejus acquiſiti cauſarum doctrina dictum eſt. Talium morborum in numero eſſe dentitio, vermes, tormina, et mala quaedam febrilia, exiſtimantur.

Male etiam cauſis rachitidis remotis adnumerantur offenſae quaedam, ex inſtrumentorum chyliferorum adfectione, ventriculi relatae conſimili, pendentes. Eae enim neque ad ſeminii cauſas, neque ad poteſtates nocentes

nocentes pertinent, et vix ſeminii quidem, ſed cauſae proximae, pars ſunt. De quibus et omnibus ejus cauſae partibus, eas ad ſeipſas augendas, permanendo, pertinere, ſemel dixiſſe ſat eſt. Ita, ſi humores in canalem alimentarium excreti, ſi bilis, ſi liquor pancreaticus, vitiati augent morbum, et ad humorem altorem amplius corrumpendum pertinent; id, propter firmorum ſimplicium laxitatem, vivorum atoniam, fit. Quem ſtatum cauſae proximae praecipuam et capitalem maxime partem eſſe, ſupra dictum eſt. Ob quam cauſam, ipſa quoque haec laxitas et atonia, male quoque, ut cauſae remotae incuſantur; quippe quae gradu minores ſeminii, majores cauſae proximae, pars ſint. Quod vero ad vaſorum lacteorum vitia, qualia glandularum meſentericarum obſtructio aut ſchirrus ſunt, attinet, quae etiam cauſis adjudicata ſunt; illa cauſae proximae ſymptoma, hic aut conjunctus, aut, ſi praeceſſit, princeps morbus, et a propoſito noſtro alienus, ſunt habenda.

DIAG-

DIAGNOSIS.

Facile rachitis ab omnibus aliis morbis, oſſium craſſitudine et diſtortione, capitis et abdominis magnitudine, reliquarumque omnium partium macie, dignoſcitur.

PROGNOSIS.

Quo maturius morbus apparuerit, eo pejor eventus metuendus eſt; ſiquidem a ſeminio congenito magis, quod minus in medentis poteſtate corrigere eſt, quam a ſeminii acquiſiti cauſis, aut poteſtatibus nocentibus, ſic pendere intelligitur, et aetas tenera medicamentorum uſum minus recipit. Contra, ſerius incidens malum meliorem ſpem promittit, propterea quod et mala adminiſtratio, quam corrigere facilius magiſque in poteſtate noſtra eſt, magis, ut cauſa, ſuſpicanda

canda eſt, remediis accommodatior major corporis firmitas eſt.

Quo etiam leniora ſymptomata, eo laetior ſolvendi morbi ſpes, et contra, eſt. Mala quaedam, procedente morbo, ſymptomata ſupervenire, ut aſthma, glandularum tumores, et affectio hydropica, dicta ſunt. Ea ſingula ſublatu difficilia ſunt, conjuncta, quod ſaepe quoque fit, haud paulo difficiliora; eoque magis, quod ſaepe diverſam a morbi principis curationem recipiunt. Quoties igitur ea inciderunt, toties finis fere deſperandus eſt. Superveniens eruptio ſaepe rachitidi finem imponit.

Poſtremo, in omni caſu, quae paulo longius proceſſerit, auctiorve magnitudine ſit, non eadem formae, quae ſalutis, reducendae, ſpes eſt.

C U R A T I O.

Cauſa proxima et remotis expoſitis; quale medendi conſilium ſit, haud difficile intel-

lectu eſt. Nam, ſi in laxitate ſimplicium firmorum, atonia vivorum, morbus conſiſtit, et ab hoc ſtatu omnia ſymptomata profluunt; certe capitale medendi conſilium eſt, illa denſare, his tonum reddere. Conſilium hoc tam incipienti, quam provecto morbo, quum nondum, decurrente eo, ſymptomata diverſae notae, diverſae et deſperandae curationis, ſupervenerint, accommodatur, et tam ad huic praeſenti medendum, quam accedenti aut futuro occurrendum, convenit. Eſt igitur maxime commune, maxime ſimplex et rationale maxime, quod proponi poteſt.

Dividitur autem in duas partes, vitare externas noxas, ſive eae ſeminii cauſae ſunt, quae in occurrendo aut medendo ſeminio cavendae ſunt, ſive poteſtates nocentes. Si eae bene vitabuntur, quatenus a ſeminio acquiſito pendeat morbus, ei occurretur, quatenus ab iiſdem praeſens morbus excitatus ſit, tolletur. Altera autem conſilii pars eſt amiſſum tonum reſtituere. Hoc medici officium adminiſtratio tonica rite nominari poteſt.

Pri-

Primumque inidonea nutrix demittenda eſt. Cujus affectiones non ſolum paulatim communicantur, et ſic ſeminii acquiſiti cauſae eſſe poſſunt, ſed ſat repente ſaepe nocent, et ſic poteſtatibus nocentibus adnumerandae ſunt. Bonae nutricis adminiſtratio eadem fere, quae aegrotantis, genere eſt, et hoc in medium prolato, intelligetur.

Laxantia ſunt omnia ea, quae, ut in totum corpus agentia, ſupra relata ſunt, excepto quod in coelo frigorifica vi, quod in immunditiis atonica puriore, agit; praeterque haec victus humidus. Haec omnia, ſive in ſummum corpus agunt, ſive, ut victus, vaſis interioribus inſinuantur; humorem altorem nimis aquoſum redditum ſimplicibus fibris inſinuant. Eadem, macerando, inter fibrarum compoſitarum particulas penetrando, et has longius inter ſe diſponendo, ut ex Briani Robinſoni experimentis addiſcitur, laxitatem firmorum augent. Et, quoniam cum poteſtate nervoſa firmorum ſimplicium ſtatus ita connectitur, ut quo firmior hic, et

con-

contra, ſit, eo validior illa, cum caetera paria ſunt, et contra, inveniatur; igitur laxitas hic ad atoniam dandam pertinet. Unde, laxantia vitare, quo modo tono et robori conſulat, facile intelligitur.

Sedantia ea ſunt, quae, ſine firmorum ſimplicium evidente affectione, poteſtatem nervoſam recta imminuunt. Frigus ſive magnum, ſive minus, ſed diu continuatum, ſive mediocre, ſed debili corpori admotum, ſedando agere nemo ignorat. Nec, qui quantum vigorem munditiae, quantum languorem et inertiam ſordes dent, reſpicit, has quoque, praeterquam quod humectando relaxant, recta ſedare dubitabit. Neque rachitidis apud vulgus frequentiae certior cauſa immunditiis eſt. Recta et purius ſedantia opium, acida, et putrida ſunt. Opium hic nocere certum eſt. Quippe enim nihil fere frequentius eſt, quam laudanum aut ſyrupum e papavere infantibus a nutricibus, ſomni, ut aiunt, conciliandi, ſed magis, ni fallor, proprii otii et quietis cauſa, dari. Cumque acido ventriculus infantilis abundet; ideo

ideo quicquid ejuſdem extrinſecus ingeritur, noceat neceſſe eſt. Purum quidem acidum nuſquam tenerae huic aetati datur; ſed aceſcentia ad nocendum ſufficiunt: Quae vitanda ſunt. Cui victui contrarius, in putredinem ire periclitans, fugiendus quoque eſt. Caro corrupta, a vulgo aliquando adhibita, vel etiam incorruptae plus juſto, ad frequentiam morbi in hoc genere hominum concurrit.

Stimulantia, quae ſupra memorata ſunt, eventu ſedant. Sic enim exercitae nimis fibrae ventriculi muſculares, per legem illam corporis, qua omnis actio nimia in deficientem tranſire nota eſt, tandem delaſſantur, imminutaque poteſtate iis inhaerente, fracto tono, nervoſa in nervis inde ad cerebrum euntibus, et animalis poteſtas, ſeu cerebri ipſius actio, imminuuntur. Unde ſtatus ille corporis, in quo morbus conſiſtit, facile erumpit. Atque ſic caro, ſic condimenta, ſic ſive ſupra ſive infra purgantia medicamenta, agunt.

Nimis

Nimis diſtendentia, ſtimulando, idem agunt, eandemque explicationem recipiunt. In qua noxa hoc inſuper animadvertendum eſt, quod, quoniam ita inter ſe fibrae longitudinales, in quas diſtentio dirigitur, et circulares, opponuntur, itaque, ut ſic dicam, antagoniſtae ſunt, ut in juſta valetudine nunquam aut illae ad ſummam contrahantur, aut hae ad ſummam relaxentur, nimia diſtentio hoc quaſi libramen perdit, illaſque, dum ad ſummam contractionem excitat, has ad ſummam relaxationem reſolvit. Unde non ſolum longitudinales, propter nimiam, ſed circulares, propter nullam, actionem pariter in eandem atoniam incidunt. Unde media quaedam et obſcura actio inter id, quod ad ſummam alterarum contractionem, et id quod ad ſummam alterarum relaxationem, deeſt, quoniam utraque nunc ſumma eſt, interrumpitur; et, deleto ſic motu antiperiſtaltico, periſtalticus inde incipiens, iſque ipſe auctus, et contrario tenore directus, imminuitur.

Calor

Calor partim relaxando agit, et ſic ad id caput pertinet, partim nimio ſtimulo poteſtatem nervoſam, juſto hic debiliorem, fatigando, et ex ſumma actione ad contrariam, cognita naturae lege, redigendo, nocet. Sed frequentior tamen frigoris noxa eſt, quae in opere ſedante, jam explicato, poſita eſt.

Omnium poteſtatum nocentium, jam bis commemoratarum, communis actio huc redit, ut, ſive in ventriculum, ſive alio, maximeque in externam ſuperficiem, agant, in parte, cui admoventur, fibras motrices atonia adficiant.

Quo facto, poteſtas iis inhaerens, perque hanc nervoſa, in nervis ab illis ad cerebrum tendentibus, dein, et per hanc, animalis, ſeu cerebri actio, imminuuntur. Imminuta haec in nervis ad fibras motrices in ventriculo et toto reliquo corpore diſpoſitas, omniaque motus, ſive voluntarii, ſive non voluntarii, inſtrumenta ſuſtinentibus, poteſtatem nervoſam, haec iiſdem ipſis inhaerentem omnibus, imminuunt. Quae noxae, ſic nocentes, ſi in integrum, aut minus aegrum, corpus,

pus, leniterque ac minore, ſed diuturniore opere, agunt; ſeminii cauſae ſunt. Si vero jam ante intus ſeminium ſubeſt, eaedemque ſubito magis, vehementius ac evidentius in id ita agunt, ut juſtum excitent morbum, poteſtates nocentes fiunt. Qua earum actione explicata, quid eas vitare faciat, quem corporis ſtatum det, haud difficile intellectu eſt. Scilicet, ſic major tonus paritur. Qua parte curationis, nempe, adminiſtratione abſoluta; ad reliquas hujus, ſcilicet, remedia et medicamenta, quibus idem conſilium expletur, tranſeundum eſt.

R E M E D I A.

Si relaxantia et ſedantia vitare adminiſtratio erat, his contraria praecipere ad remedia pertinebit. Temperies aëris media calori et frigori eſſe, et humore carere, debet. Victus, ſiccus cibus, ex carne paratus, ſed non tam copioſus, ut in ſedantem nimio ſtimulo, aut diſtenſione nimia, degeneret, potio merax,

ſed

ſed non ad ebrietatem, quae ſemper ſedat, huic caſui accommodantur. Exercitatio viribus accommodanda eſt, ut neque quod deficit, neque quod ſuperat, atoniae ſit. Quod praeceptum magis ad corpus, praeterito morbo, reficiendum et prohibendum futurum, quam praeſentem et vigentem curandum, pertinet. Aliud remedium, quod his adjicere utile eſt, lavatio frigida. Cujus in uſu ab egelidae aquae ad frigidioris, dein frigidiſſimae uſum, paulatim progrediendum eſt, eique, ne propter debilitatem noceat, corpus aſſuefaciendum. Scire autem nocere hanc licet, ſi horrori, quem primum excitat, dein, poſtquam aegrotans aqua exiit, calor non ſuccedit, nec animi alacritas ſequitur. Quae contra, illi ſuccedentia, prodeſſe eam denotant. Antiqui, qui hoc remedio accuratius uſi ſunt, liberiores, quam hoc ſeculum, a rachitide fuerunt

——" Natos ad flumina primum
Deferimus, ſaevoque gelu duramus et undis *."

* Virgil Ænead.

MEDICAMENTA.

Medicamenta tonica ſunt, et aut ex genere plantarum, aut ex foſſilium, petuntur. Illa ad tonum in morbis febrilibus et brevibus, haec in non febrilibus et longis, reſtituendum adhibenda ſunt, et a peritiſſimo quoque medico adhibentur. Priora efficaciora, ſed ob id fugaciore virtute, ſunt, poſteriora minus, ſed diutius, poſſunt. Unde in morbis non febrilibus atonicis et longis, quia ex plantis petita tamdiu, dum medicina opus eſt, adhiberi nequeunt, quin non perdant ſolum opus ſuum, ſed in contrarium degenerent, et atoniam gignant, idcirco, aut ex toto rejicienda ſunt, aut per occaſiones tantum utenda: Hae occaſiones ſunt, ubi vires adeo fractae jacent, et atonia adeo praevalet, ut neque adminiſtratione, neque remediis, neque tonicis foſſilibus, ſuſtentari aegrotans poſſit. Quo facto, dato medicamento et finem conſecuto medico, poſt breve tempus, nempe,

non

non multorum dierum moram, ad aliam curationis partem redeundum eſt. Medicamenta, ex plantis parata, ſic agentia, omnia, partim adſtringente, partim amara vi, agunt. Qua utraque valet eorum princeps, et reliquis omnibus anteponendum, cortex Peruvianus.

Medicamenta tonica, ex foſſili natura parata, metallica omnia ſunt. Quorum praecipua, et ſola nunc adhiberi fere ſolita, ferrum et cuprum ſunt. Cumque eadem rurſus, aut pure metallica, aut a ſale roſa, adhibeantur; ita hac, quam illa, forma ferrum potentius, cuprum tutius eſt. Immo hoc, niſi cupri ammoniacalis forma, ob magnum ejus periculum, dandum non videtur. De quibus ideo plura dicenda non puto, quia fuſiſſime eorum virtutes ubique fere deſcribuntur; et fuſior de iis oratio ad propoſitum noſtrum minus attinere videtur. Quae de ferro eo magis ſupervacua foret, quia ingenioſiſſimus juvenis, meorum laureae competitorum unus, de illo ex profeſſo, et, ſat ſcio, optime

hoc

hoc ipſo tempore tractat. Quod autem ad omnia medicamenta et totam curationem attinet; ex tribus hujus partibus, adminiſtratione, remediis proprie ſic dictis, et medicamentis, priora duo maximi momenti eſſe, et praecipue frugifera; medicamenta ad tollendum funditus malum minime accommodari, ac tantum, ubi atoniae magnae imparia illa ſolvendae ſunt, pro tempore utenda, uno verbo dicendum eſt. Quod dictum hujus non morbi, ſed omnium in atonia puriore poſitorum, quales, dyſpepſia, apoplexia, epilepſia, et hyſteria, purius atonicae, et non plethoricae, et nonnulli alii, ſunt, curationi pariter convenit.

Perducto ad finem hoc opuſculo, occaſionem nactus idoneam, meis medicinae et aliis hac in alma academia praeceptoribus, nominatimque maximo viro Culleno, omnibus, ob praecepta utiliſſima, huic etiam propter egregiam adverſus me voluntatem, quas ſemper habiturus ſum, debitas gratias ago.

F I N I S.